

politica et juridica dicasteria, Regni hujus subjecta in occursuris vacantij pro eorundem qualitate et capacitate assummi et accomodari facere, ita et in confinij in binis Generalatibus, ac Sclavonicis, tam in Militaribus, quam Politico et Juridico Militaribus Officijs praecipuam Regni hujus et Patriae filiorum, ipsius confinarij Militis indolem magis perspectam habentium, et gravibus sumptibus foris extra Patriam educatorum, capaciumque, ea gratia et benignitate, qua hactenus dignabatur, accomodandorum et promovendorum maternam curam habere, ut hac etiam ratione et Orthodoxa Romano Catholica fides, quae fulcrum et propugnaculum nostrum et Regnorum horum esset, ad effectum tot et tantarum publicarum Constitutionum amplius et conservari et ampliari, Majestatis Vestrae Sacratissimae vero altissimum servitium promoveri valeat.

Denique cum Regionis hujus felicitas vel ea etiam ratione provehenda praevideatur et speretur, quod si exitus Regni productorum et naturalium Vini frugumque cum effectum procuratur, Majestatis Vestrae Sacratissimae de genu humillime supplicamus, dignetur pro materna cura et solitudine, ac in Nos Regia Clementia sua, aperto jam reseratoque improbo contribuentis Regni hujus Plebis labore, et in id multis gratuitorum laborum millibus impensis, aqua sive Savo et Collapi e Banatu Temessiensi, ac inferiori Sclavonia Comercio sicco quoque, sive terra et per axem versus Mare, ac praesertim etiam in Vicinas Carinthiae, Carnioliae et Styriae provincias liberam negotiationem ac comeatum admittere; una vero apud Status Styriae benigne ordinare, ut sua ex parte unam quidem (viam) ex Regni hujus Oppido Crapina per Kollari sic dictum locum, Petovium et Marpurgum ducentem, quae non ita pridem, dum Crapinae statio postalit erat, publico comeatui patebat, sed hic et nunc reparari omissa est, aliam vero Cilleam versus ducentem, — per utrasque Miles etiam Confinarius, dum velocius per Styriam in Castra ascendere debebat, cum acceleratione altissimi Regij Servitij promovebatur, — reparari et ad practicabilem transituique meliori commodum statum poni procurant, consequenter exemplo nostro, qui per praemissi tutam duriori etiam labore Savi fluminis repurgationem, ipsis aqua viam et communicationem aperiamus, et vel maxime Vinum, ut quemadmodum nos producta earundem Provinciarum, ferrum, Calcem, robora, Pineam, pannum, Tellam, Pelles, aliaque tanto numero de Anno in Annum recipimus, et vicine cum iisdem comunicamus, ut non immerito asseverare possimus, Pecunijs e Regno hoc eductis de Anno in Annum magnam Contributionis eorum partem exolveri, vicissim et vicinali obligatione Eadem Provinciae Vinum, Triticum, aliaque Regni Producta certo aliquo rationabili numero quottannis, ut hac ratione ejusdem Vini adminus mediocritas et aequilibrium pretij conservari possit, secum comunicari et reciproca ratione suas nobiscum Pecunias comunicari sustineant. In quibus ac Majestatis Vestrae Sacratissimae in Nos Materna et Regia Benignitate spes nostras fiduciamque collocantes homagiali in subjectione emorimur.

Dabantur ex Generali Nostra pro 1. et sequentibus Mensis Februarii Varasini Anno Domini 1770 celebrata Congregatione.

Majestatis Vestrae Sacratissimae

Humillimi perpetuoque fideles subditi N. N.  
Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae  
Status et Ordines.